



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An Mattius teneatur uxorem adulteram non resipiscentem dimittere,
nec eam sibi reconciliare, nise post peractam pœnitentiam, &
emendationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

si fiat à marito jure speciali, aut à patre, si nolit accusare maritum, inter 60. dies utiles, à die soluti per divortium matrimonij, ita ut, prioribus cessantibus, post elapsos 60. dies, etiam extranei admittantur, intra 4. menses utiles, & accusari potest de adulterio non tantum adulter, & adultera, modò sciverit eam partem, cum qua copulam habet, conjugatam alteri esse (nam adulterium sine dolo malo non committitur) sed etiam qui talibus adulteriis cooperantur, quæritum v. g. ex adulterio facientes, Jencinium exercentes, prostituendo ad adulterium uxores, domum concedendo ad talia admittenda &c. & si agatur criminaliter ad pœnam sanguinis, aut mortis, solus Judex sæcularis potest cognoscere, ob periculum irregularitatis; quoad alias verò pœnas legales, mixti fori hoc delictum est; si verò ad divortium tantum civiliter agatur, ad Judicem Ecclesiasticum tantum pertinet talis cognitio, prout ex dictis jam patet.

§. III.

Quomodo probandum sit adulterium?

Quod non possit directè probari per testes, vel per documenta, aut instrumenta, sed indirectè tantum ex solis præsumptionibus, flagitij hujus occultè committi soliti turpitudine facit. Et quamvis ad plenam probationem adulterij non sufficiat quælibet probabilis suspicio, sed requiratur violenta præsumptio, saltem ad condemnandum, quæ moralem certitudinem facit, & virum prudentissimum inducere potest.

ad judicandum adulterium esse commissum, plures tamen enumerantur à Menochio de præsumpt. l. 5. præsum. 41. & à Sanchez l. 10. de Matr. disp. 12. & disp. 22. ubi videri possunt, l. apud Auc. Metho. hoc. §.

§. IV.

An Maritus teneatur uxorem adulteram non respicientem dimittere, nec eam sibi reconciliare, nisi post peccatum penitentiam, & emendationem?

R. Affirmativè, ex c. si vir, 3. h. t. quia patronus censetur turpitudinis, qui crimen celat uxoris, non qui Cod. ad legem Juliam de adulter, non quidem, quasi obligatio se separandi ab uxore adultera oriatur ex adulterio patris, quia penes innocentem est divertere, vel non divertere; neque quod oriatur præcisè ex præcepto correctionis fraternæ, quia huic præcepto locus fieri posset, admonendo uxorem; sed ex præcepto vitandi scandali, (se vitæ patrocinari videatur adulterio uxoris) si alijs medijs vitari illud non possit, & causa justa urgeat retinendæ uxoris. Neque tamen potest uxori adulteræ respicienti maritus denegare alimenta necessaria, cum hoc medium ad finem omnimodæ emendationis obtinendum, sit nimis acerbum, & occasiones præberet turpis quæstus faciendi.

§. V.

Quæ sint pœna adulterij tam criminales, quam civiles?

A. Niqui testamenti pœna in adulteris statuta, & quæ de jure civili